

## Distinctio XV

**/Vb 199vb; X 391a/** “Hic considerandum est”, etc. Postquam Magister determinavit de processione temporali Spiritus Sancti sub proprio ‘processionis’ nomine, hic determinat de ipsa  
 5 sub vocabulo ‘missionis’. Et circa hoc tria facit. Primo enim agit de missione Spiritus Sancti, de qua intendit principaliter. Et secundo de missione Filii. Et tertio inquit quare missio non conveniat Patri. Secunda ibi: “Ne autem mireris”. Tertia ibi: “Hic quaeritur cur Pater”.

Dicit itaque primo quod hic considerari oportet an Spiritus Sanctus detur et mittatur a se ipso. Et videretur quod non, quia mitti non est aliud quam procedere. Constat autem quod  
 10 Spiritus Sanctus non procedit a se. Et respondet Magister quod immo Spiritus Sanctus a se ipso datur et mittitur, et probat tripliciter. Primo, quia Deus est et in quantum Deus potest omne donum donare, igitur et se ipsum, cum donum et datum sit. Secundo vero, quia indivisa est operatio trium personarum, quod tamen non esset si Pater et Filius Spiritum Sanctum mitterent; ipse autem non mitteret se ipsum. **/X 391b/** Tertio idem ostendit auctoritate Augustini, qui dicit  
 15 quod ita datur Spiritus sicut donum Dei ut etiam se ipsum det sicut Deus. Unde infert Magister quod, si Spiritus Sanctus <se> ipsum dare non posset, Pater autem et Filius dare possent, aliquid possunt Pater et Filius quod non posset Spiritus Sanctus; et iterum sequeretur quod aliquid operarentur Pater et Filius quod non operaretur Spiritus Sanctus, propter quod concludit quod a se ipso temporaliter mittitur et procedit et datur.

20 Postmodum ibi: “Ne autem mireris”. Magister agit incidentaliter de missione Filii. Et circa hoc tria facit. Primo enim ostendit Filium esse missum sicut et Spiritum Sanctum. Secundo vero inquit a quo Filius missus sit. Tertio quoque quomodo missus sit. Secunda ibi: “Et quod **/Vb 200ra/** a Spiritu Sancto”. Tertia ibi: “Hic quaeritur utrum semel”.

Dicit itaque primo quod Augustinus probat de Filio et Spiritu Sancto quod uterque sit missus,  
 25 nam de Spiritu Sancto dicitur Ioan. 14: “Quem mittet Pater in nomine meo”; et iterum Ioan 16: “Si abiero, mittam eum ad vos”. De Filio vero legitur quod ipse ait Ioan. 16: “Exivi a Patre et veni in mundum”; et ad Galatas 4: “Misit Deus Filium suum factum ex muliere”. Ex quibus colligitur quod uterque, Filius videlicet et Spiritus, missus sit. Pater autem in nulla **/X 392a/** scriptura dicitur esse missus.

30 Postmodum ibi: “Et quod a Spiritu Sancto”. Magister inquit a quo missus sit filius; et facit quatuor.

Primo enim ostendit quod missus est a Spiritu Sancto, quod patet per verbum Isaiae scriptum c. 48, ubi dicitur: “Nunc misit me Dominus et Spiritus eius”. Et per Ambrosium, libro 3 *De Spiritu Sancto*, capitulo 1, qui dicit quod Pater et Spiritus miserunt Filium. Et subdit ibidem  
 35 quod datus est a Patre, ut Isaias dicit: “Puer natus est nobis, et filius datus est nobis”; datus est audeo dicere, dicit Ambrosius, a Spiritu Sancto, quia et a Spiritu missus est.

Secundo ibi: “Deinde <Demum Vb> ostendit”. Magister probat quod etiam Filius datus est a se ipso, et inducit verbum Ambrosii dicentis quod datus est Filius gratia trinitatis, ita ut Filius etiam dederit se.

40 Tertio ibi: “Quod autem a se”. Probat quod etiam Filius missus sit a se ipso, auctoritate Augustini, qui ait quod ipse se ipsum misit; et respondet obicienti quomodo Pater eum misit, quod utrumque verum est, quia et Pater eum misit, et ipse se ipsum misit, sicut et Pater eum sanctificavit, et ipse se ipsum sanctificavit, et Pater eum tradidit, et ipse se ipsum tradidit, et Pater eum suscitavit, et ipse se ipsum suscitavit. Haec enim omnia leguntur in scriptura; unde a  
 45 simili, Filius misit se ipsum, et missus fuit a Patre.

Quarto ibi: “Ex supra dictis”. Magister praedeterminata recolligit et arguit contra se ipsum, dicens quod ex praedictis apparet quod filius missus est a Patre et Spiritu et etiam a se ipso. Sed huic videtur contrariari quod ipse dicit Ioan. 8: “A me ipso non veni”; et respondet Magister secundum Augustinum quod ibi loquitur Christus secundum formam servi in qua missus est,  
 50 non secundum formam Dei qua etiam misit se ipsum.

Postmodum ibi: “Hic quaeritur utrum semel”. Magister inquit quomodo fit missio Filii, et facit tria.

Primo enim ponit duos modos missionis, dicens quod praeter illam aeternam generationem, quae ineffabilis est, duobus modis mittitur Filius. Primo quidem visibiliter, et sic missus est dum  
55 in mundo apparuit carne indutus, de qua missione scriptum est: “Exivi a Patre, et veni in mundum”; Io 16. Secundo vero invisibiliter, dum cognoscitur et percipitur mente, de qua missione scribitur Sapientiae 9: “Emitte illam de caelis sanctis tuis et a sede magnitudinis tuae”.

Secundo ibi: “Ecce distincti”. Magister assignat unam differentiam inter hos duos modos missionis, et ait quod secundum primum modum visibilem, tantum missus est semel in fine  
60 temporum cum factus est homo; secundum alterum vero missionis modum mittitur continue et ad homines et ad angelos, cum in animas sanctas se transfert.

Tertio ibi: “Praeterea notandum”. Assignat secundam differentiam, et ait quod per primum modum missionis, Filius dicitur missus in mundum visibiliter et corporaliter, secundum vero invisibilem modum, non dicitur **/Vb 200rb/** mitti in mundum, quia anima prout veritatem  
65 percipit, iam non est in mundo; unde nos secundum quod mente aliquid aeternum capimus, in mundo non sumus.

Postmodum ibi: “Hic quaeritur”. Inquirat Magister **/X 392b/** quare non conveniat Patri mitti. Et circa hoc duo facit.

Primo enim respondet ad hoc, dicens quod Pater est principium totius deitatis, propter quod  
70 debetur sibi auctoritas. Mittens autem habet auctoritatem respectu eius quem mittit, propter quod absurdissime diceretur Pater missus a Filio aut a Spiritu Sancto, cum Filius ab eo sit genitus et Spiritus procedat ab eo.

Secundo ibi: “Ideoque”. Removet quorundam haereticorum errorem, qui propter hoc Patrem maiorem Filio putaverunt, quod Pater non legitur missus, sed potius Filium aut Spiritum  
75 Sanctum misisse. Et dicit Magister quod hoc non est quia Pater sit maior, sed propter principii commendationem ut innuatur quod Pater est principium totius deitatis, vel quia numquam apparuit sicut illi in visibili creatura.

Haec est sententia.

#### 80 **Utrum cuilibet personae divinae conveniat invisibiliter mitti aut mittere.**

Et quia magister inquit hic de missione invisibili Filii, quid sit et a quo sit, et similiter de Patre, cur non legitur missus, et de Spiritu Sancto, utrum missus sit a se ipso, ideo inquirendum occurrit utrum cuilibet personae divinae conveniat invisibiliter mitti aut mittere.

85 **Quod omni personae divinae conveniat mitti, etiam personae Patris.** Et videtur quod omni personae divinae competat mitti, etiam personae Patris. Sicut enim se habet sapientia ad Filium, sic virtus et potentia se habent ad Patrem. Sed in dono sapientiae dicitur mitti Filius secundum illud Sapientiae 9 scriptum: “Mitte illam de caelis sanctis tuis, et a sede magnitudinis tuae”. Ergo in dono fortitudinis et virtutis mittetur persona Patris, et per consequens ad Samsonem  
90 videtur Pater missus qui legitur orasse Iudicum 16, et dixisse: “Domine Deus meus momento\* mei, et redde mihi nunc pristinam fortitudinem”.

Praeterea, duo sunt modi missionis, quos Augustinus tangit, IV *De trinitate*, capitulo 17: primus quidem visibilis, cum persona divina apparet in aliqua visibili creatura, secundus vero invisibilis, dum percipitur et cognoscitur mente. Sed de persona Patris constat quod mente a  
95 viris sanctis percipitur, sicut et Filius, unde Matt. 2 dicitur quod nec Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare; constat etiam quod in visibili et corporali specie apparuit Abrahae, quoniam tres vidit et unum adoravit, et similiter Moysi et aliis Prophetis. Ergo videtur quod missus fuerit Pater tam visibili quam invisibili missione.

Praeterea, si repugnaret Patri inter divinas personas ut mitteretur, hoc non esset ob aliud nisi  
100 quia a nulla persona procedit. Sed hoc non impedit, nam Spiritus Sanctus non procedit a se, nec Filius a Spiritu Sancto, et tamen Spiritus Sanctus missus est a se ipso, et Filius a Spiritu Sancto, ut testatur Ambrosius, libro III *De Spiritu Sancto*, capitulo 1. Ergo et Pater poterit mitti a se ipso, vel a Filio et Spiritu Sancto, dato quod procedat a nullo. **/X 393a/**

105 **Quod nulli personae divinae competat mitti.** Ulterius videtur quod nulli personae divinae competat mitti. Generaliter enim verum videtur quod missus inferior sit mittente. Sed Athanasius dicit quod in trinitate non est prius aut posterius, nec maius aut minus. Ergo nulli personae existenti in **/Vb 200va/** trinitate competit mitti.

Praeterea, nullus mittitur ubi ante erat. Sed personae divinae semper sunt, et ubique. Ergo  
110 non videtur quod possint de novo mitti.

Praeterea, Patri non competit mitti, ut Augustinus dicit, IV *De trinitate*, capitulo 20. Similiter nec Filio competere videtur, quia aut mitteretur in qualibet cognitione veritatis, et secundum hoc missus fuisset philosophis, aut in cognitione veritatis quae pertinet ad donum sapientiae, et hoc non, quia donum sapientiae pertinet ad Spiritum Sanctum, et ita non ad Filium, ut videtur.  
115 Similiter etiam nec Spiritui Sancto competit, cum sint eiusdem rationis omnes personae divinae. Et iterum angelis supremae hierarchiae, non competit ut mittantur, secundum Dionysium, sed tantum angelis infimae hierarchiae. Constat autem quod Spiritus Sanctus est eminentior illis, cum Deus sit. Ergo nulli personae divinae competit mitti.

120 **Quod non omni personae divinae competat mittere.** Ulterius videtur quod non omni personae divinae competat mittere, inter mittentem namque et missum debet esse auctoritas et sub auctoritas, missus enim procedit auctoritate mittentis. Sed non omnis persona divina habet auctoritatem, fundatur enim auctoritas super originem, et ita persona a qua nulla originatur, videtur auctoritatem habere super nullam personam. Ergo non omnis persona divina potest  
125 mittere, ut videtur.

Praeterea, Magister dicit quod idem est personam divinam mitti quod dari et procedere. Sed constat quod non competit cuilibet divinae personae ut ab ea procedat persona alia. Ergo nec competit cuilibet ut mittat.

Praeterea, quando aliqua possunt ad invicem combinari, si illa combinata reperiuntur alicubi  
130 et cum hoc alterum illorum per se videtur quod et alterum per se reperiatur, sicut patet quod corpus et spiritus reperiuntur simul in homine et cum hoc corpus reperitur per se, sicut patet in natura simpliciter corporea, quare et alterum, videlicet spiritus, reperitur per se, sicut patet de intelligentiis separatis. Sed inter personas divinas invenitur aliqua quae mittitur et mittit, ut Filius qui mittitur a Patre et mittit Spiritum, et aliqua quae mittit et non mittitur, ut Pater. Ergo  
135 reperietur aliqua quae tantum mittitur et non mittit, puta Spiritus Sanctus, et per consequens non omnes divinae personae mittent.

**Quod omni personae divinae competat mittere, etsi non mitti.** Sed in oppositum videtur quod omni personae divinae competat mittere, et quod non **/X 393b/** omni mitti; de ratione enim  
140 mittentis est quod faciat aliquem novum effectum in creatura. Sed quaelibet persona divina facit omnem effectum qui fit in creatura, quia indivisa est operatio trinitatis; unde quaelibet persona divina operata est incarnationem Filii, secundum quam Filius fuit missus et operatur quotidie ad illustrationem veri, secundum quam dicitur mitti Verbum, et similiter ad sanctificationem animae, secundum quam mittitur Spiritus Sanctus. Ergo cuilibet personae divinae competit  
145 mittere.

Praeterea, illud competit cuilibet divinae personae quod potest convenire alicui in ordine ad se. Sed mittere est huiusmodi: nam Filius dat se, ut testatur Ambrosius, libro III *De Spiritu Sancto*, capitulo 2; et similiter Spiritus Sanctus se ipsum dat et mittit, ut Augustinus dicit, XV *De trinitate*, capitulo 19. Ergo videtur quod quaelibet persona mittat.

150 Praeterea, illi repugnat mitti quod habet auctoritatem principii, secundum Augustinum, IV *De trinitate*, capitulo ultimo. Sed pater in divinis habet auctoritatem principii. Ergo sibi repugnat mitti, **/Vb 200vb/** et per consequens non mittitur quaelibet persona divina.

**Responsio ad quaestionem.** Ad quaestionem istam respondendo hoc ordine procedetur. Primo namque inquirendum est quid sit missio. Secundo vero inquirendum in quibus donis fiat missio.  
155 Tertio quoque quibus personis in divinis competat missio active et passive sumpta.

### Articulus Primus

**Opinio Thomae, parte prima, quaestione 43, articulo 1 et 2.** Circa primum ergo dixerunt  
 160 aliqui quod nomine missionis duo importantur, quorum unum est habitudo missi ad eum a quo  
 mittitur, a quo quidem videtur procedere, vel secundum imperium (sicut dominus mittit  
 servum), vel secundum consilium (sicut consiliator dicitur mittere regem), vel secundum  
 originem (sicut dicitur quod flos emittitur ab arbore), aliud vero quod importatur per missionem  
 165 est habitudo missi ad terminum, quia oportet ut aliquo modo ibi de novo esse incipiat, vel  
 omnino de novo, quia ibi prius non erat, vel aliquo modo de novo, quia prius illo modo non erat,  
 et quia personae divinae alicui competit procedere, etsi non secundum imperium et consilium,  
 saltem tamen secundum originem competit etiam sibi ut de novo alicubi esse incipiat, non  
 quidem simpliciter, sed secundum aliquem modum et aliquem effectum; ideo sibi competit quod  
 mittatur.

170 Est autem differentia inter processionem, dationem, et missionem, quia in divinis quaedam  
 important solam habitudinem originis ad principium, sicut generatio et spiratio; quaedam vero  
 cum habitudine ad principium important terminum temporalem, sicut missio et datio, mittitur  
 enim aliquid ad hoc ut in aliquo sit, datur autem ad hoc ut habeatur; quaedam vero important  
 habitudinem ad principium et ad terminum aeternum et temporalem, sicut processio /X 394a/ et  
 175 exitus, processit enim ab aeterno Filius a Patre, ut esset Deus, procedit autem ex tempore, ut sit  
 homo.

Haec autem opinio quoad aliqua irrationabiliter quidem procedit, primo siquidem in hoc  
 quod ait missionem importare processionem secundum originem eo modo quo dicitur quod flos  
 emittitur ab arbore; missio enim prout hic de ea loquimur non est idem quod productio, nec  
 180 missio idem est quod productus, immo missio sumitur pro legatione, et missus dicitur legatus,  
 sicut de Filio dicitur Abdiae primo auditum audivimus a Domino, et legatum ad gentes misit,  
 sed flos non dicitur legari ab arbore nec originari, legari est. Ergo missio prout hic accipitur non  
 importat habitudinem originis.

Praeterea, missio non importat processionem ab aliquo solum secundum rationem consilii  
 185 vel imperii, sed magis secundum acceptionem potestatis, auctoritatis, et dominii\*; unde legatus  
 dicitur in humanis qui potestatem aut auctoritatem accipit a legante. Sed in divinis Filius et  
 Spiritus Sanctus accipiunt auctoritatem et potestatem a Patre: ille quidem nascendo, sed iste  
 procedendo. Ergo quamvis sit ibi habitudo originis, non tamen secundum ea dicitur persona  
 legari seu mitti, sed secundum acceptionem auctoritatis et potestatis.

190 Et si dicatur quod acceptio non est aliud quam origo, non valet, quia si esset origo absque  
 hoc quod communicaretur auctoritas sicut /Vb 201ra/ est in flore qui oritur ab arbore talis origo  
 non induceret missionem, et similiter si esset auctoritatis communicatio absque origine, sicut est  
 in humanis, ibi salvaretur vera legationis ratio, propter quod origo Filii non dicitur legatio in  
 quantum origo, sed in quantum auctoritatis transfusio et communicatio quaedam.

195 Praeterea, si Filius diceretur mitti a Patre secundum rationem illam qua flos emittitur ab  
 arbore, missio Filii esset ab aeterno, ab aeterno namque Filius est a Patre ut radius a sole, et flos  
 seu ramus ab arbore. Sed nullus dicit quod Filii missio sit aeterna. Non ergo accipitur missio  
 secundum illam rationem.

Secundo vero videtur irrationabilis in hoc quod ait de ratione missionis esse quod missus in  
 200 termino ad quem mittitur de novo aliquo modo esse incipiat, hoc quidem verum non est, immo  
 sufficit quod ibi prius existens de novo auctoritatem accipiat vel prius ibi existens, et  
 auctoritatem habens de novo auctoritate incipiat, sicut patet in humanis, nam existenti Parisiis  
 potest Papa auctoritatem committere causam aliquam ventilandi et descendendi, et talis quidem  
 205 diceretur legatus, non quia de novo veniret Parisiis, sed quia iam ibi existens de novo  
 auctoritatem acciperet. Similiter etiam si auctoritate accepta, mandaretur sibi de novo, ut ea uti  
 inciperet, non dubium quod diceretur quodam modo de novo legari, sic igitur in proposito non  
 est de ratione personae divinae quando legatur quod de novo esse incipiat, sed quod accepta  
 auctoritate de novo utatur. /X 394b/

210 **Quid dicendum secundum veritatem, et primo quid sit missio.** Restat ergo dicere circa hoc quod videtur sub tribus propositionibus, prima quidem quod mittere active prout accipitur in divinis, non est aliud quam auctoritatem transfundere et potestatem respectu alicuius operationis, et determinare ad usum illius auctoritatis; mitti vero passive non est aliud quam auctoritatem accipere et determinari ad utendum illa auctoritate, ad illud autem dicitur fieri  
215 missio circa quod exercetur usus huius auctoritatis.

Ad cuius evidentiam considerandum est quod licet Pater personae Filii communicetur in divinis omnem perfectionem simpliciter, et omnem potestatem et auctoritatem, ex modo tamen emanationis communicat sibi specialem auctoritatem super cognoscibilem veritatem, in quantum emanat ut pulchritudo perfectissima et veritas summa in nulla parte Patri dissimilis, ut  
220 Augustinus dicit, VI *De trinitate*, capitulo ultimo. Unde Filio appropriatur veritas Ioannis 14: “Ego sum via, veritas, et vita”; et appropriatur sibi illustratio mentium ad cognitionem veritatis, iuxta illud Ioannis 1: “Vita erat lux hominum\* et erat lux vera quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum”, ratio autem istius appropriationis est, quia de ratione verbi est ut per ipsum dicatur et proferatur, nam verbum dicitur quasi ‘verum boans’; unde verbum ex suo  
225 modo emanationis connotat creaturam, quam Pater dixit Verbo; similiter omnem veritatem, Verbo namque suo coaeterno, dicit quaecumque dicit secundum Augustinum. Quia igitur eruditio veritatis per Verbum fit – Doctor enim docet per verbum – competenter dicitur Pater per Verbum hominem erudire sicut et per Verbum omnia facere. Quando igitur mentem humanam vel angelicam Deus illustrat et erudit in notitia veritatis, tunc Filius dicitur mitti, nec  
230 est aliud mittere quam Filium determinare ad utendum auctoritate communicata sibi appropriate; haec autem auctoritas est eru-/Vb 201rb/-ditio veritatis. Similiter est de Spiritu Sancto in ordine ad caritativum impulsum et amorosum egressum animae in Deum; quia enim emanat Spiritus in divinis per modum doni et cuiusdam egredientis in amatum, idcirco ex modo emanationis videtur habere causalitatem quodam appropriato modo super omnem amorosum  
235 impulsum; cum igitur determinatur Spiritus ad istum effectum, ita ut mens amore moveatur in Deum, tunc dicitur mitti Spiritus Sanctus, hoc est legatione sua fungi et auctoritate appropriate sibi collata.

Sed forte dicetur quod eruditio veritatis aequae est a Spiritu Sancto sicut a Filio, et amorosus impulsus mentis moveri aequae a Filio sicut a Spiritu, sunt enim haec communiter a tota trinitate;  
240 et iterum forte dicetur quod si Filius ex vi emanationis habet habitudinem ad veritatis eruditionem, Spiritus vero ad amorosam redamationem, videbitur quod aliquam causalitatem et habitudinem ad perfectionem simpliciter habeat una persona quam alia non habet, et ita non videtur verum, quia dictum est de auctoritate Filio appropriata vel Spiritui Sancto.

Sed dicendum ad hoc. Ad primum quidem quod eruditio veritatis /X 395a/ et omne verum  
245 habet quidem habitudinem communem ad totam trinitatem in ratione producti et effectus, sed non ex hoc impeditur quin ex modo emanationis auctoritas huiusmodi causalitatis appropriate sibi donetur et committatur, non enim communicans auctoritatem, spoliatur se illa, nec oportet si unus specialiter destinatur secundum unam auctoritatem quod alii careant illa. Pater ergo et Filius et Spiritus Sanctus utique docent et instruunt veritatem, sed nihilominus ex modo  
250 communicationis qua Filio omnia dantur per modum Verbi veritatis, sermo autem significativus principium est doctrinae secundum Philosophum in *De sensu et sensato*, competit appropriate Filio ut per eum doceat Pater, tamquam per Verbum proprium et sermonem suum, et idem intelligendum est de Spiritu Sancto respectu impulsione amorosae, amans enim excitat amatum ad redamandum per suum amorosum impulsum; quia amor meretur redamationem, secundum  
255 quod philosophus dicit, VIII *Ethicorum*.

Ad secundum vero dicendum quod nulla perfectio simpliciter est in Filio quae non sit in Spiritu Sancto, nec e converso, nec aliqua auctoritas; nihilominus omne verbum habet aliquam specialem habitudinem ad Verbum, ratione cuius appropriatur veri eruditio ipsi verbo. Et similiter amoris condonatio habet aliquam habitudinem ad Spiritum Sanctum qui est primus  
260 impulsus, et prima condonatio amorosa, propter quod caritatis diffusio per Spiritum Sanctum appropriate fieri dicitur in cordibus nostris, secundum Apostolum ad Romanos 5.

**Quod missio passiva est semper notionalis, activa vero quandoque essentialis, quandoque notionalis.** Secunda vero propositio est quod missio passiva est semper notionalis, activa vero  
265 quandoque essentialis, quandoque vero notionalis.

Et primum quidem patet, quoniam mitti est determinari ad utendum auctoritate communicata et condonata, nulla ergo persona mitti dicitur quae non habeat auctoritatem aliunde communicatam. Omnis autem communicatio in divinis fit per originem, et per consequens mitti includit originem passivam. Haec autem est notionalis.

270 Secundum vero patet ex hoc quod mittere potest dupliciter accipi. Primo quidem pro hoc quod est communicare auctoritatem alteri, et ipsum determinare ad usum illius auctoritatis, et sic includit notionale, cum communicare in divinis sit per productionem et activam originem, unde mittens hoc modo personam originat et productum producit. Secundo vero sumi potest pro  
275 sola determinatione /Vb 201va/ auctoritatis ad usum, et quia persona quae auctoritatem accipit in divinis, puta Filius vel Spiritus Sanctus, determinatur ad usum huiusmodi auctoritatis per voluntatem divinam, quae communis est et essentialis, necessario personam determinare ad usum auctoritatis commune est tribus. Unde et Spiritus Sanctus determinat Filium ad  
<erudiendum> [eruedum Vb] veritatem, et Pater determinat ipsum, et ipsemet determinat se ipsum, velle enim erudire est ipsum determinare ad erudiendum. Hoc autem est commune tribus  
280 /X 395b/

**Quod processio, datio, missio differunt in divinis.** Tertia quoque propositio est quod processio, missio, datio differunt circa divinas personas et quantum ad hoc quod important ex parte personae et quantum ad hoc quod important ex parte termini. Processio namque et missio  
285 includunt emanationem ex parte personae procedentis et missae, propter quod trinitas mitti non dicitur nec procedere. Datio vero ex parte personae datae originem non includit, quilibet enim potest dare se ipsum; nec oportet quod donum suum sit productum ab eo, alioquin non posset dare pecuniam, qui pecuniam non fecisset; sed hinc est quod tota trinitas dicitur nobis data. Est tamen hic advertendum quod aliquid dari dicitur dupliciter. Uno modo sicut impulsus amorusus,  
290 qui est ipsummet donum, et sic Spiritus Sanctus dicitur dari a Patre et Filio, quae quidem datio non est aliud quam processio, et per consequens talis datio, sicut et processio, emanationem includit. Alio autem modo aliquid dari dicitur, sicut datum amoroso impulsu, non sicut ipse impulsus, quo modo dari dicitur pecunia vel aliud quodcumque quod transfertur in alterius potestatem, et quia tota trinitas est in potestate illius, qui existit in gratia; amicus enim est inter  
295 illa quae sunt hominis in potestate, quoniam illa possumus quae per amicos possumus, ut Philosophus dicit in I *Ethicorum*; amicus etiam computatur inter possessiones tamquam nobilissima et potissima, ut patet VIII *Ethicorum*. Unde ditior est qui habet multitudinem amicorum quam habens multitudinem thesaurorum et opum. Secundum hanc inquam considerationem Deus secundum ternarium personarium dicitur dari et possideri ab homine,  
300 primum tamen quod Deus dat est amorusus suus impulsus, propter quod Spiritus Sanctus habet rationem primi doni.

Ex parte autem termini dicunt ista tria, quoniam processio accipitur secundum proprietatem; proprius namque terminus processionis aeternae participatur ab anima existente in gratia, ut dictum est supra. Propter quod Spiritus Sanctus proprie procedit et transfertur in animas sanctas;  
305 missio vero accipitur secundum appropriationem, eruditio namque veritatis, secundum quam mittitur Filius est quidem ab eo appropriate; non autem a Deo proprie, quin sit simul a tribus personis. Datio vero accipitur secundum amicitiae rationem in quantum illud cui trinitas datur habere dicitur vel possidere ipsam secundum leges amicitiae, sicut homo solet habere amicum reductum ad sui potestatem, quoad procurationem utilium et completionem votorum, ut  
310 Philosophus dicit in II *Rhetoricae*.

Patet igitur ex praedictis quid sit mitti et quid sit mittere personae divinae, non est enim aliud personam divinam mitti quam auctoritate ab aeterno accepta ex tempore uti; non enim de novo legatur quia noviter auctoritatem accipiat, sed quia auctoritate aeternaliter accepta ex tempore utitur profluendo in actum. Mittere vero nihil aliud est quam personam determinare ad usum  
315 huiusmodi auctoritatis, quod fit per divinam voluntatem quae communis /Vb 201vb/ est tribus.

Et in hoc primus articulus terminetur. /X 396a/

### Articulus Secundus

**Secundum quae dona mittantur personae divinae. Opinio Thomae, parte prima, quaestione 43, articulo 5, et Durandi.** Circa secundum vero considerandum quod cum Filii missio non sit aliud quam uti auctoritate et legatione sua fungi iuxta potestatem quae a Patre sibi collata est, appropriate haec missio nihil aliud erit quam mentis eruditio et inductio in hanc missionem veritatis; missio vero Spiritus Sancti non est aliud quam mentis excitatio ad amorosum egressum et impulsum caritatis in Deum. Sunt tamen hic duo dubia. Primum quidem quod eruditio veritatis attribuitur Filio, quia donum intellectus, sapientiae, et scientiae, et consilii spectant ad eruditionem veritatis, et tamen Isaiaie 11 attribuuntur Spiritui Sancto, unde et appellatur Spiritus veritatis, qui docet omnem veritatem, Ioan. 16. Secundum vero quod dicitur Filius mitti, dum mens percipit veritatem, secundum hoc enim missus fuisset philosophis et peccatoribus multis, quod inconueniens esse videtur – propterea dixerunt aliqui quod non in quacumque cognitione veritatis dicitur mitti Filius, sed in dono sapientiae, quod est <sapientia et notitia> [notitia, sapientia et Vb] amorosa, et quod a caritate separari non potest; unde missio Spiritus fit per donum caritatis, et missio Filii per donum sapientiae, differunt quidem realiter, quia caritas et sapientia realiter distinguuntur, non tamen differunt per actualem separationem, quia sapientia mitti non potest, nec dari absque caritate, et hinc est quod ista attribuuntur Spiritui Sancto.

Quod autem missio Filii a missione Spiritus Sancti separari non possit patet: tum quia non mittitur Filius nisi in cognitione perfecti boni ad quam de necessitate sequitur dilectio, quia in bono perfecto non invenitur aliqua ratio mali, aut ratio non diligibilis; tum quia notitia in divinis spirat amorem, quare notitia quae non spirat amorem divinum non assimilatur personae Filii, et ita non mittitur Filius secundum notitiam talem; tum quia notitia secundum quam Filius dicitur mitti, est Dei notitia, experimentalis quidem et practica, et suavitatem inducens, quia quidem absque caritate haberi non potest. Unde patet quod non separatur missio Filii a missione Spiritus Sancti.

Sed haec opinio videtur in duobus deficere. Primo quidem quod ait missionem Verbi non posse separari a missione Spiritus, per hoc innuens quod non per omnem perceptionem veritatis dicitur mitti verbum. Hoc autem non videtur verum, cum sapientia aliquorum malorum hominum attribuaturo dono Dei, unde sapientia Salomonis perseveravit in eo tempore quo extitit in peccato mortali; et tamen secundum eam missus est sibi Verbum, quod est sapientia, quam postulat ubi ait: “Mitte illam de coelis sanctis tuis”. Videtur ergo quod Verbi missio separaretur in eo a dono caritatis.

Praeterea, Eccles. 1 dicitur quod omnis sapientia a domino Deo est, et quod fons sapientiae est Verbum Dei in excelsis, et loquitur ibi sapiens de cognitione veritatis creaturarum, non solum de cognitione divinorum. Unde ait: “Altitudinem coeli, et latitudinem terrae, et profundum /X 396b/ abyssi quis dimensus est; et tunc subdit quod fons sapientiae est Verbum Dei in excelsis. Sed hoc non esset nisi Filius mitteretur dum percipitur omnis profunda veritatis; esto etiam quod non spectet ad caritatem. Igitur id quod prius.

Secundo vero deficit, quia dicit missionem Spiritus Sancti et Filii esse idem per quandam concomitantiam, quamvis formaliter distin-/Vb 202ra/-quantur; ex hoc innuens quod donum sapientiae et eruditio veritatis non spectet causaliter ad Spiritum Sanctum; nec dicatur mitti Spiritus Sanctus dum anima eruditur in notitia veritatis, constat enim quod scriptura Spiritui Sancto istud attribuit, ut. Sapientia 7 dicitur “Optavi et datus est mihi sensus, invocavi et venit in me spiritus sapientiae.” Et Ecclesiastici 1 dicitur quod ipse creavit eam, in Spiritu Sancto et effudit eam super omnem carnem, et universaliter omne verum a quocumque dicatur a Spiritu Sancto esse videtur. Ergo donum sapientiae et cognitionis videtur ad Spiritum Sanctum, aliter quam per concomitantiam pertinere.

**Quid dicendum circa hoc.** Nunc igitur dicendum est quo ad istum articulum quod primum donum divinum, in quo omnia dona donantur, est donum Spiritus Sancti, sicut et inter homines

370 primum quod datur est ipsemet amans, qui se ipsum tribuit per amorem et ex hoc dat alia quod  
 se ipsum tribuit primo. Deus autem in esse dato positus est Spiritus Sanctus, sicut dictum est  
 saepe, propter quod in omni dono naturali gratuito et morali procedit Spiritus Sanctus, ut  
 declaratum extitit in praecedenti quaestione. Et secundum hoc cognitio veritatis et donum  
 sapientiae attribuitur Spiritui Sancto. Ulterius autem secundum specialem rationem attribuitur  
 375 sibi donum gratuita caritatis, propter hoc quod caritas habet specialem habitudinem ad  
 Spiritum Sanctum, qui est primus caritativus impulsus, et per consequens primum minimum et  
 mensura omnis caritativi impulsus. Mensuratum autem habet habitudinem ad mensuram, unde  
 caritativa inflammatio appropriatur legationi Spiritus Sancti. Similiter, quia Verbum in divinis  
 est prima veritas, et per consequens primum minimum et mensura omnis veri conceptus, idcirco  
 380 in omni vero conceptu divinatio aliqua videtur esse seu destinatio et legatio primi Verbi. Unde  
 conceptus veridicus occurrens menti videtur quidam nuntius Verbi aeterni. Secundum hoc igitur  
 generaliter loquendo de omni dono, omnia sunt a Spiritu Sancto, prout tamen ab ipso specialiter  
 caritas diffundi, dicitur conformiter et a Verbo dicitur mitti verus conceptus; unde utitur  
 Verbum auctoritate sibi appropriata, dum verum percipitur, et Spiritus Sanctus, dum animus  
 inflammatur.

385 Et secundum hoc patet ad instantias superius inductas. Ad primam quidem quod Spiritui  
 Sancto cognitio veritatis attribuitur propter rationem iam dictam, non quia se habeat per  
 concomitantiam, ut opinio illa dicebat. Ad secundam vero: quod omne verum, a quocumque  
 percipiatur, sive pagano sive philosopho, Deo oportet attribui, iuxta illud Apostoli ad Romanos  
 1: Deus enim illis manifestavit. Unde omnis verus conceptus est nuntius primi conceptus, qui  
 390 est Verbum Dei in excelsis, et secundum omne verbum mente perceptum, si verum sit, mittitur  
 Dei Verbum. /X 397a/ Quia tamen verum salutare et notitia amorosa et sapida perfectior est et  
 utilior, secundum illam perfectius mitti dicitur sapientia increata, quae est Filius Dei. Unde  
 secundum dona pertinentia ad gratiam et gloriam perficientia intellectum, ut sunt sapientia et  
 visio aeterna, Filius dicitur maxime invisibiliter mitti.

395 Et in hoc finitur articulus secundus.

### Articulus Tertius

**Ubi inquiritur an quaelibet persona mittat et mittatur. Opinio Magistri.** Circa tertium  
 autem considerandum quod opinio fuit Magistri sententiarum, sicut patet in littera, quod licet  
 400 persona quaelibet non mittatur, quia non Pater propter auctoritatem principii, omnis tamen  
 persona mittit; unde Spiritus Sanctus mittit Filium et mittit se /Vb 202rb/ ipsum. Et pro hac  
 opinione sunt rationes et auctoritates quas Magister inducit in littera, capitulo primo et secundo  
 et tertio et quarto.

405 **Opinio Scoti, et multorum aliorum.** Fuerunt autem alii qui dixerunt quod in divinis est una  
 persona quae non mittitur, sed tantum mittit, scilicet Pater; et una quae tantum mittitur et non  
 mittit, scilicet Spiritus Sanctus; et una quae mittitur et mittit, scilicet Filius. Et secundum hoc  
 sunt duae mittentes et duae missae. Ratio autem istorum fuit quod sicut mitti includit originem  
 passivam, ita mittere originem activam.

410 Hoc autem potest multipliciter declarari secundum eo. Mittere enim et mitti sunt relative  
 opposita. Sed mitti includit produci. Ergo et mittere includet suum correlativum, quod est  
 producere.

Praeterea, si oppositum de opposito, et propositum de proposito. Sed mittere et mitti sunt  
 opposita. Ergo mittere erit originare, cum mitti sit originari.

415 Praeterea, mittere et mitti videntur eandem rem significare secundum diversos modos  
 grammaticales. Sed mitti significat respectum originis ad intra cum connotatione termini ad  
 extra. Ergo et mittere significabit respectum originis ad intra. Unde, cum significet active id  
 quod mitti significat passive, et mitti includat originari, ergo mittere includet originare.

Praeterea, mittere est authentice dare, secundum acceptionem sanctorum. Sed dare authentice  
 420 non potest divina persona nisi secundum auctoritatem originis. Ergo omnis persona quae aliam  
 mittit, ipsam originat.



Praeterea, si de ratione personae mittentis non est quod ipsam originet, in tantum quod Spiritus Sanctus possit mittere Filium vel se ipsum, pari ratione Filius poterit mittere Patrem, sicut Spiritus Sanctus producit a Filio, sicut Filius a Patre. Sed Augustinus expresse dicit, IV  
425 *De trinitate*, capitulo ultimo, quod Pater non legitur missus propter auctoritatem principii. Igitur Spiritus Sanctus non mittet Filium a quo procedit.

Praeterea, persona mittens dicitur operari per missam, sicut Pater dicitur diffundere caritatem per Spiritum Sanctum et erudire per Filium. Sed nulla persona operari dicitur per aliam nisi quatenus originat eam. Igitur id quod prius /X 397b/

430

**Opinio Thomae, parte prima, quaestione 43, articulo 8\*.** Fuerunt autem alii qui nisi sunt ad concordiam reducere opinionem istorum, dicentes quod cum dicitur persona mitti, designatur et ipsa persona ab alia existens et effectus invisibilis vel visibilis, secundum quem missio divinae personae attenditur. Si igitur mittens designetur ut principium personae quae mittitur, sic non  
435 quaelibet persona mittit, sed solum illa cui convenit esse principium personae missae; si vero persona mittens intelligatur principium effectus, secundum quem attenditur missio, sic tota trinitas mittit personam.

Sed hic modus dicendi nihil facit nos scire de hoc, enim est dubium utrum persona mittens per hoc quod dicitur mittere, designetur esse principium sicut persona quae mittitur, designatur  
440 ex hoc quod mitti dicitur esse principiata. In hoc enim difficultatem facit opinio secunda: mitti quidem et mittere videntur idem significare, sed unum active et reliquum passive; propter quod si mitti importat originari, videretur quod mittere importaret originare. Et in hoc est difficultas huius quaesiti, quae non tollitur per istum modum dicendi.

445 **Opinio Bonaventurae.** Fuerunt autem alii, qui magis verisimiliter nisi sunt concordare, dicentes quod mitti significat manifestationem personae quae est ab alio et quod existat ab alio, secundum /Vb 202va/ illud Augustini, IV *De trinitate*, capitulo 20, dicentis quod Filium mitti, est cognosci quod a Patre sit. Secundum hoc ergo in significato missionis includitur manifestatio emanationis principaliter et directe, emanatio vero secundo et indirecte; unde  
450 nihil aliud est mitti personam quam manifestari de illa quod ab aliqua persona procedit. Mittere vero est manifestare quod illa persona procedit, et quia tota trinitas manifestat quod persona procedit (hoc enim manifestatur per donum creatum, quod creaturae a tota trinitate infunditur), rationabiliter dici potest quod tota trinitas mittit; nec tamen mittitur nisi persona producta.

Haec tamen opinio videtur insufficiens in duobus. Primo quidem quia missio videtur directe  
455 dicere habitudinem inter personam mittentem et missam; persona enim missa mittitur a mittente. Secundum istum autem modum dicendi missio dicit habitudinem principaliter et directe inter effectum creatum et trinitatem efficientem, unde non est aliud mittere quam donum manifestativum infundere, nec mitti est aliud quam donum declarativum infundi. Et ita mitti et mittere non sunt habitudines directe existentes inter personam et personam secundum ista, quod  
460 tamen esse non potest.

Secundo, quia non videtur verum quod manifestari sit mitti, licet enim per donum in quo persona mittitur fiat manifestatio, et forsitan fiat missio ad manifestationem tamquam ad finem, non tamen manifestari est mitti formaliter nec legari aut destinari. /X 398a/

465 **Quid dicendum secundum veritatem.** Propterea dicendum quod ‘legatio’ sumi potest dupliciter: uno modo pro auctoritatis commissione, alio modo pro usu auctoritatis, quod non est aliud quam fungi legatione, quandoque enim dicitur legari seu destinari aliquis pro illo tunc quo sibi committitur auctoritas, quandoque vero pro illo tunc quo destinatur ad utendum auctoritate. Secundum hoc ergo si primo modo accipiatur ‘missio’ in divinis, mittere nihil aliud est quam  
470 auctoritatem personae communicare et delegare, et sic soli personae producenti competit mittere; Pater enim mittit Filium quia sibi auctoritatem communicat et potestatem, unde Filius nihil agit nisi auctoritate delegata, sicut ipse testatur Ioan. 14, dicens: “Verba quae ego loquor, a me ipso non loquor, Pater autem in me manens, ipse facit opera.” Et idem intelligendum est de Spiritu Sancto. Si vero accipiatur secundo modo ‘legatio’ pro destinatione missi ad usum

475 legationis, ut fungatur auctoritate, sic mittere competit toti trinitati, cum per voluntatem  
divinam, quae essentialis est et communis, destinetur et determinetur persona ad usum  
auctoritatis, et ut operetur secundum eam. Unde non solum Filius determinatur ad erudiendum  
intellectum a voluntate paterna, immo et a voluntate propria et a voluntate Spiritus Sancti, cum  
sit una voluntas. Sic igitur intelligendum est, cum dicitur “Filius aut Spiritus Sanctus missus”. Si  
480 enim eius missio sit auctoritatis per quam agit susceptio, tunc Filius mittitur a solo Patre et  
Spiritus Sanctus ab utroque. Si vero missio sit legati ad operandum destinatio et determinatio,  
sic mittitur Filius a tota trinitate, quia individua voluntate Filius utitur delegata sibi auctoritate a  
Patre; eadem namque auctoritas est in Patre modo authentico et in Filio modo subauthentico et  
quasi subdelegato.

485 Iste ergo modus dicendi concordat opinionem Magistri cum opinione secundario posita  
aliorum /Vb 202vb/ doctorum. Magister enim accepit mittere secundo modo et ideo concessit  
quod tota trinitas mittit et quod persona legat se ipsam; alii vero missionem intellexerunt  
secundum primum modum, et ideo dixerunt quod sola persona mittit quae missam originat et  
producit, et quia iste modus est maxime proprius, idcirco persona producens propriissime dicitur  
490 mittere, quamvis omnis divina persona mittat, large et secundario accipiendo ‘missionem’.

Sed forte dicitur quod auctoritatis communicatio competit Filio ab aeterno, et ita ab aeterno  
mitteretur et non ex tempore, et iterum legati destinatio ad operandum, non videtur aliud quam  
auctoritatis commissio. Et iterum secundum hanc rationem Pater mitteret se ipsum, et tota  
trinitas simul mitteretur, cum voluntate communi ad operandum simul determinetur.

495 Sed dicendum quod ista non obviat. Primum siquidem non quia licet ab aeterno  
communicetur auctoritas operandi, non tamen circa istum vel illum nisi indeterminate propter  
quod cum determinate communicatur sibi auctoritas respectu alicuius dicitur persona mitti ad  
illum; unde incongrue potest concedi quod ab aeterno Filius missus est indeterminate, /X 398b/  
in quantum ut missibilis generatus est, secundum illud Gregorii, homelia 26, in libro  
500 homeliarum, dicentis quod Filii missio, iuxta naturam deitatis\* potest intelligi; eo enim ipso  
Filius a Patre mitti dicitur, quo a Patre generatur; determinate tamen loquendo, non dicitur ad  
istum vel illum missus.

Secundum etiam non obsistit, non est enim verum quod auctoritatis commissio et auctoritatis  
usus sint idem, nec legatio et fugi legatione; unde nec auctoritatem committere est usum  
505 imperare, immo patet quod commissio potest praecedere usum legationis.

Tertium quoque non obviat, licet enim tota trinitas simul operetur et determinetur sua libera  
voluntate, nihilominus in operando Pater se habet ut authenticus; Spiritus autem et Filius  
quilibet habet se ut legatus in quantum agunt auctoritate sibi communicata, non habita a se,  
quemadmodum habet Pater. Et ideo Pater nunquam mitti dicitur, nec agere ut legatus, quamvis  
510 eandem operationem agat cum aliis; Filius autem et Spiritus agunt per modum legati, sed Filius  
in operatione qua mens illustratur, Spiritus autem in operatione qua animus per caritatem  
inflammatur.

Et in hoc articulus tertius terminatur.

### 515 **Responsio ad primo obiecta**

Ad ea ergo quae superius primitus inducuntur dicendum est. Ad primum quidem quod donum  
virtutis et fortitudinis, et corporalis, quando supernaturaliter datur, attribuitur Spiritui Sancto.  
Unde et de Samsone legitur, Iudicum 15, quod Spiritus domini irrui in Samsonem et vincula  
quibus ligatus erat, dissipata sunt. Ratio autem istius attributionis superius posita est, quod  
520 Spiritus Sanctus est primum donum in quo omnia dona donantur, nec Pater mitti dicitur  
secundum donum fortitudinis, quamvis fortitudinem largiatur, pro eo quod non dat fortitudinem  
auctoritate delegata, sed authentice, et sicut habens potestatem a se. Et per idem patet ad  
secundum; licet enim Pater legatur apparuisse, vel revelatus fuisse, non tamen auctoritate  
aliunde accepta, propter quod non apparuit ut legatus.

525 Ad tertium dicendum quod Pater nullo modo dicitur missus quantumcumque veniat ad  
mentem fidelem, pro eo quod numquam venit auctoritate habita aliunde. Unde venit authentice,

nullo modo ut legatus vel **/Vb 203ra/** missus; Filius autem et Spiritus Sanctus veniunt ut legati in quantum operantur auctoritate aliunde accepta.

530 Et si dicatur quod Filius non accepit auctoritatem a Spiritu Sancto, nec etiam a se ipso, et per consequens non debet dici missus a Spiritu vel a se ipso, dicendum quod verum est, si ‘missio’ accipiatur pro auctoritatis commissione, non autem si accipiatur pro destinatione legati iam habentis auctoritatem ad usum legationis.

535 Et si dicatur ulterius quod a simili Pater potest dici legatus, quia a communi voluntate omnium trium determinatur ad operandum una cum duobus, dicendum quod non quaecumque determinatio auctoritatis ad usum dicitur ‘legatio’, sed determinatio auctoritatis delegatae. Unde legati destinatio appellatur ‘legatio’, ut saepe dictum est. **/X 399a/**

### <Responsio> ad secundo obiecta

540 Ad ea vero quae secundo inducuntur dicendum est. Ad primum quidem quod mittere et mitti non important maioritatem vel <minoritatem> [minorationem Vb], sed important potestatis auctoritatem et delegationem. Hoc autem locum habent in divinis in quantum in Patre est omnis potestas authentice et a se; in Filio autem et Spiritu est communicata et transfusa, et quasi delegata. Unde verbum Athanasii negat potestatis maioritatem et minoritatem in divinis personis, non tamen communicationem et auctoritatem.

545 Ad secundum dicendum quod missio divinae personae non importat quod sit alibi, ubi ante non erat, sed quod incipiat uti auctoritate, qua non utebatur antea, etiam ubi erat.

550 Ad tertium dicendum quod Pater non est missus, quamvis mittantur alii duo propter rationem iam tactam. Et quod additur de Filio, dicendum est quod mittitur non solum in dono sapientiae caritativae quod debetur existenti in gratia, immo et in qualibet revelatione veritatis; ipse enim est qui revelat mysteria et novit in tenebris constituta, et lux cum eo est, ut dicitur Danielis 2, unde et Balaam qui fuit malus propheta, et Salomoni, et multis aliis, locutus est Deus Verbo suo coaeterno, ipsos erudiens.

555 Et si dicatur quod talis notitia non assimilatur personae Filii, quia non spirat amorem, nec habet annexum saporem, nec est donum perfectum, dicendum quod si non spirat amorem Dei in omnibus malis, spirat tamen amorem sapientiae et delectationem, et est donum perfectum in genere suo. De philosophis autem, utrum ad eos illustrandum missum fuit Verbum Dei, dicendum quod sic ubi aliqua profunda veritas fuit illis ultra humanum ingenium revelata, quod non est dubitandum aliquando factum fuisse, non enim attribuendum est soli humano ingenio quicquid ab eis dictum legitur, Apostolo contestante quod Deus illis manifestavit; quod autem  
560 additur de Spiritu Sancto, quod eiusdem rationis est cum aliis personis, dicendum quod Filius et Spiritus in hoc non sunt eiusdem rationis cum Patre, quia Pater omnia habet a se, illi vero a Patre. Et quod dicitur de angelicis spiritibus, dicendum quod omnes dicuntur missi in ministerium propter eos qui haereditatem capiunt salutis ut dicitur ad Hebraeos 2, vel dicendum quod hoc perfectionis non est in angelis, quod non sint missi, hoc enim provenit ex limitatione  
565 officiorum, quia angelorum, quidam sunt assistentes, quidam <administratores> [administrationem Vb] creaturarum exeuntes, nec habet unus utrumque officium propter limitationem eorum, quia dicit Damascenus, libro II, capitulo 3, quod cum a Deo mittuntur in terra, non remanent **/Vb 203rb/** in caelo.

### 570 <Responsio> ad tertia obiecta

Ad ea vero quae tertio inducuntur dicendum est. Ad primum quidem quod omnis divinis persona habet auctoritatem quam exigit determinatio usus legationis, non autem auctoritatem quam exigit communicatio et **/X 399b/** commissio potestatis; fit enim communicatio per originem, usus vero determinatio per omnipotentem voluntatem, quae communis est tribus.

575 Et per idem patet ad secundum, quia non competit alicui personae divinae quod a se ipsa procedat per originem, sed bene sibi congruit quod procedat in actum secundum voluntatem.

Ad tertium dicendum quod sicut Pater solus dicitur mittere, hoc est auctoritatem operandi communicare et potestatem, sic solus Spiritus Sanctus dicitur tantum missus, hoc est auctoritatem tantummodo accepisse et nulli dedisse; Filius autem dedisse et accepisse, et ita

580 missus et misisse. Accipiendo vero ‘legationem’ pro determinatione legati ad usum commissae auctoritatis, solus Pater dicitur non legatus, quia tota trinitas communi voluntate se determinans ad agendum, sic se habet ad actionem quod Filius et Spiritus Sanctus agunt auctoritate delegata, Pater vero potestate authentica. Unde respectu Patris determinatio potestatis non est legatio, cum non sit eius potestas delegata.

585

### <Responsio> ad obiecta in oppositum

Ad ea vero quae in oppositum inducuntur dicendum est quod veritatem concludunt accipiendo ‘mittere’ pro hoc quod est legatum determinare ad agendum, tale enim mittere est essenziale et commune tribus, cum non sit aliud quam divinum velle; unde sic accipiendo omnis divina  
 590 persona mittit. Intelligendo vero per ‘mittere’ potestatem committere et delegare, non est commune tribus, sed tantum personis producentibus in divinis. Mitti autem semper includit quod auctoritas eius qui mittitur delegata sit et communicata; sive accipiatur ‘mitti’ pro acceptione auctoritatis in ordine ad certum terminum sive pro usu illius auctoritatis; et sic patet quod mitti semper aliquid notionale includit. Utrum autem includat cum hoc essenziale,  
 595 dicendum quod operatio non est de intraneitate missionis, sed passiva determinatio personae ad operandum, haec autem communis est tribus, et ideo essentialis. Quid autem principalius includatur in missione passiva, dicendum quod si accipitur ‘missio’ pro acceptione auctoritatis et potestatis operativae respectu alicuius determinati termini, tunc est pure notionalis, cum vero accipitur pro passiva determinatione ad operandum circa terminum illum per potestatem  
 600 commissam et communicatam, tunc potestatis communicatio dat determinationi passivae ad operandum, quod missio dici possit propter quod illud formale et determinativum est; et per consequens principale. Unde notionale formalius includitur in missione sic sumpta. /X 400a/